

905

P A T R I S T I C I

906

*saniori se concilio.
virus auxerunt.
ipse elegit.
Nec ambigendum.*

*se consilio saniore.
virus hauserunt.
ille elegit.
Nec ambigendum est.*

Epistola LX.

*Gratias ago Deo.
sacramentum pertinent.
quos dei spiritus.
perpetem ecclesie pacem secura
mente.
plenius iudicare*

*Gratias Deo.
pertinent sacramentum.
quos tecum dei spiritus.
perpetem Ecclesiae tranquillita-
tem secura pace.
plenius iudicare.*

Vides et hic pauca esse, quae Editis praeferas. Demum, quod ad PP. Testimonia Epistolae ult. adnexa spectat, *Hilarii* Excerpta ab his verbis incipiunt: *Humani etenim generis causa dei filius* &c. Excerptum IV. *Hinc itaque fallendi simplices* &c. omititur, et tota series abrumpitur in *Ambrosii* Excerpto IV. his verbis: *quod nunquam nostri sensere majores.*

sper eternam salutem dicit; Accepi per communem amicum fraternae erga me sollicitudinis tuae signa &c. Dividitur post medium quasi in duo Capita; ab illis enim verbis: *a non intelligentibus semper opponitur*, interjectum est character rubro quadrato: *De Eo Quod Scriptum Est Qui Vult Omnes Homines salvos Fieri.* Id quod etiam in Edit. *Lugdun.* 1539. p. 91. observes, non vero in *Lugdun.* 1672, quae *Hep-tadi Praesul.* adhaeret, p. 86. nec in *Append. T. X. Opp. Augustini* edit. *Maur. col.* 168.

CCLVIII. VIII. C. 16

198

Codex membraneus lat. Sec. partim IX. partim XI. Folior. nunc 99. f. rubricis distinctus, praemisso brevi *Indiculo* sequentia complectitur: I. *Prosperi Aquitani* Scriptoris Sec. V. *Augustini* amici et ὑπερασπιστῆς *Epistolam* ad *Rufinum* quendam circa an. 429. scriptam hoc titulo miniato et quadrato: *Incipit Epistola Prosperi. De Gratia Et Libero Arbitrio Ad Rufinum.* Initium: *Domino Fratri Dilectissimo In Christo et merito uenerabili rufino. pro-*

II. *fol. 10.* caractere, ut supra: *Incipiunt Responsiones Eiusdem.* Id est contra *Objectiones Gallorum*, datae circa finem an. 430. aut initium sequentis. *Praefatio. Doctrinam quam sanctae memoriae augustinus episcopus* &c. *Responsiones ipsae inscribuntur: Incipiunt capitula calumniantium quibus respondetur.* Et ordiuntur: *Quod ex predestinatione dei velut fatali necessitate* &c. *Habetur hoc Opusculum in edit. Lugd.*

1539. p. 95. et in edit. 1672. p. 88. Item T. X. *Aug.* suprac. col. 197. sed statim in *Resp.* I. Codex noster melius omnibus legit: *non ex cognitione dei, quam ex conditione dei.* Ad calcem minio: *Expliciunt responsiones ad capitula Gallorum.*

III. fol. 19. *Incipiunt Responsiones contra capita obiectionum Uincencianarum.* Circa idem tempus cum superioribus datas autumant Editores de *Hist. lit. de la France* T. II. p. 385. obiectiones vero non a *Vincentio Lirinensi*, sed ab alio *Vincentio in Provincia* Presbytero profectas, de quo agunt p. 413. Praefatio incipit: *Quidam Christiane ac fraternae caritatis obliti &c.* Opusculum ipsum inscriptum est: *Incipiunt capita obiectionum. quibus ad singula respondetur. Quod Dominus noster ihesus christus non pro omnium hominum salute &c.* In *Resp.* I. a nostro Cod. abest: *et solus*, sed melius legit cum *Maurianis* suprac. col. 208. *ad magnitudinem — pretii*, quam *Lugd.* posterior *ad imaginem.* Non est ad manum *Parisi* 1711. ut cum ea Codicem contendam.

IV. fol. 25. char. quadr. nigro: *Incipiunt Responsiones Ad Excerpta Quae de Genuensi Civitate sunt Missa.* Inscriptae sunt: *Camillo. Et Theodolo. Venerabilibus Presbyteris*, et ordiuntur: *In libris beatae memoriae augustini episcopi quorum titulus est de predestinatione sanctorum &c.* Extant in *Lugd.* priore p. 118. in poster. p. 96. Haec editio in *Resp.*

2. omittit illa verba: *Utrumque nostrum est propter arbitrium voluntatis, quae in Cod. nostro et edit. priore leguntur, uti et in T. X. Opp. August. suprac. append. col. 214.*

V. fol. 33. char. quadr. nigro: *Incipit Responsio Sancti Augustini Ad Dulcitium De Octo Questionibus Ab Eo Missis.* Initium: *Quantum mihi videtur fili dulcissime dulcici! non tardavi respondere &c.* Legitur T. VI. *Opp.* edit. *Maur.* col. 121. sed ibi paullo post initium habetur: *post tres menses redire permissus sum.* Noster omittit *menses*, ut adeo de *diebus* sermo esse videatur, cum mox ante *quindecim dies* memorati fuerint.

VI. fol. 47. p. 2. ead. forma: *Incipit De Predestinatione Disputatio. VI. Augustini. Yponosticon Aduersus Pelagianos. Seu Celestianos Hereticos.* Ingressus: *Attendere etiam hoc quam maxime huic operi oportet. ut et uestra calumnia &c.* Variat is ab edit. *Maur.* T. X. *Opp. Aug.* append. col. 42. ubi legitur: *Licet latius de gratia et libero arbitrio jam superius disputatum sit: tamen addere etiam non nihil quam maxime huic operi oportet; ut et uestra calumnia &c.* *Augustini* non esse VI. τῶν Ἰερογνώσκων seu τῶν Προμνησκων Libros inter omnes nunc convenit. *Joh. Garnerius* Dissert. VI. de *Scriptis aduersus Haeres. Pelag.* T. I. *Opp. Marii Mercatoris. Paris.* 1673. c. 6. p. 362. in *Sixtum Presb. Romanum*, qui *Coelestino* in *Sedem apostolicam* suc-

successit, autorem inclinat; *Mauriani* loc. cit. in *Admonit. Marium Mercatorem* mallent, neque tamen *Garnerii* rationes diluunt, cui praeterea Liber noster *sextus* supposititius aut saltem addititius videtur, cum praeter alia saepe se junctus a ceteris, ut in nostro *Cod.* inveniatur. Illud insuper notatu dignum, quod testatur *Hincmarus Rhemensis lib. de Praedest.* c. I. visum sibi Codicem, in quo Liber hic post opus *de Ocho Quaestionib. Dulcitii* subjungebatur, id, quod et in nostro Codice factum vides. Subscribitur is forma illa literarum, quam *Mabillo-nius Francicam* seu *Carolinam* vocat, cujusque alphabetum exhibet *Tab. II. n. 2. de Re Dipl.* p. 347. in hunc modum: *Deo gratias sine fine semper. Istum librum indignus Gerbardo Helmuard scripsi pio. Sequentem alium deo adiuuante. et uita comite gratiaq: placatus. celeriter peragam.* Sed hujus Libri parum jam superest, ut sequitur.

VII. fol. 53. p. 2. *Incipit Ordo De Numero Annorum Indictae Penitentiae Per Consilium Sacerdotum.* Initium est: *Septem igitur annorum tempore debes habere poenitentiam indictam &c.* Post 15. lineas cetera deficiunt. Quod eo magis dolendum, quo melioris notae Codex est haecenus, neque negligendus iis, qui *Prosperi* aut *Augustini* Scripta olim for-

tasse retractaturi sunt. Quae porro sequuntur, ad *Sec. XI.* pertinent.

VIII. fol. 54. *Epistolae et Evangelia* per annum in Ecclesia legi solita, sine titulo, ex interpretatione vulgata. Initium est a *Dominica I. Adventus* hoc rubro: *Legitur epistola bauli. a. ad Romanos. Fratres Scientes quia hora est &c.* Non respondet tamen *Lectionarium* istud exacte hodierno *Missali Romano.* Dominicae enim I. *Adv.* adsignat Evangelium: *Cum appropinquasset ihesus hierosolimis &c. Matth. c. 21.* Dominicae III. Epistolam *Pauli ad Corinth. I.* *Sic nos existimet homo &c.* Pertingit usque ad *Fer. VI. in Parasceve,* et in iis *Passionis sec. Johannem* verbis deficit: *Sicut mos est iudeis sepe-lire.*

CCLIX. VII. H. 3.

Codex chartaceus lat. *Sec. 681* XV. Folior. 83. 4. currente calamo exaratus continet I. *Prosperi Aquitani* Scriptoris *Sec. V.* notissimi *Librum Epigrammatum* e *D. Augustini Sententiis* conflatum, cujus Editiones varias enumerat *Fabricius Bibl. lat. med. aevi L. XVI. p. 14.* Cum vero ultima *Parisiensis 1711. f.* mihi ad manum non fit, *Prooemium,* quod in *Edit. Lugdun. 1672. f.* non reperio, e *Codice* huc transfero:

*Hec augustini sacris epygrammata dictis
Dulcisono rethor componens carmine prosper*

Ver-